

nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. Consuetudine esse posse fructus, ex quibus Decima non solvatur, communis est Canonistarum sententia. (23. Quæstio vero non inutilis hic discutienda est, an decima debeatur, si in Prædiis, quæ fructus ferebant decimæ obnoxios, substituuntur fructus, qui consuetudine, ut dictum est, decimæ minime erant subjecti? (24. Affirmant Mornac. in lib. 13. fer. per tot. ff. de servit. rustic. Dupineau in suis quæst. et consult. c. 10. pariter fere per tot. (25. Negant vero Grimaudet de decimis lib. 1. num. 3. per tot. Papon. Corpor. Jur. Francic. lib. 1, tit. 12, num. 5. Rot. in Cæsaraugustana Decimarum 15. Maji 1752. et in Confirmatoria 2. Aprilis 1753. coram R. P. D. Canilliac, idque non male, nam decimam debent non ipsa prædia, sed fructus; locus propterea esse nequit decimæ, si consuetudo a decima exemit novos fructus.

(26. Negativam vero hanc opinionem duobus in casibus limitat Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canon verb. Decimæ sect. 10. qu. 6 et 7. (27. Prior est, si consuetudo vigeat, ut ex novis fructibus non obnoxii decimæ solvatur decima. (28. Alter est, si hæc substitutio fructuum non obnoxiorum decimæ, adeo universalis sit, ut Parocho congrua desit.

(29. Decima regulariter solvenda est in ipsis fructibus, non item in pecunia. Consuetudine vero fieri potest, ut solvatur in pecunia. At quænam consuetudo hujus sit efficacis, expendit Rot. in Cracovien. Decimarum super bono jure 26. Junii 1748. coram Illustriss. Clement. impress. Romæ per Barbiellini 1781. et in alia Cracovien. Decimarum super bono jure 27. Aprilis 1750. coram Illustriss. Cortiada.

ARTICULUS IV.

Jus decimandi a quibus, et quibus modis acquiri et concedi possit.

(1. Clerici acquirere possunt jus decimandi variis modis. Primo, papæ concessione, seu privilegio, ratione cujus privilegii, seu concessionis fit, quod decimæ alias de jure ad Parochum spectantes, debeant solvi Ecclesiæ non Parochiali, v. g. Regulari, aut Beneficiato simplici. (2. Ita Doctores communiter arg. cap. Statuto 2. de Decimis in 6. Secundo, per consuetudinem legitime præscriptam. Est communis; arg. cap. Cum sint 18. cap. Ad Apostolicam 20. c. Cum contingat 29. de Decimis. Et ratio est, quia consuetudo legitime præscripta derogare potest juri communi positivo, cap. Cum tanto 2. de consuetud. et per consequens jus uni Ecclesiæ competens in aliam transferre, cap. Cum Dilectus 8. de consuetud. (3. Ad sic autem præscribendum contra Laicum, vel contra Clericum privatum, vel contra aliam causam non privilegiatam sufficit decennium inter præsentem, et vicennium inter absentes, arg. leg. unic. Cod. de usucap. transformand. et § 1. Instit. de usu-

cap. ibi: « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero longi temporis possessionem (id est inter præsentem decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur. » (4. Ad sic præscribendum contra aliquam causam piam, v. g. Hospitale, Monasterium, Capitulum, vel aliquam Ecclesiam non Parochialem, requiruntur, et sufficiunt quadraginta anni cum bona fide. Authen. quas actiones, Cod. de Sacrosantæ. Eccl. cap. Aures 6. cap. Illud autem 8. et cap. Quia judicante 9. de præscript. (5. Ad sic vero præscribendum contra Ecclesiam Parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemorabile; est communis. Et ratio est quia ad præscriptionem contra Ecclesiam requiritur dictum tempus una cum titulo, quoties jus commune resistit, vel præsumptio est contra præscribentem, textu expresso in cap. 1. de præscriptionib. in 6. ibi: « Nam licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habetur, sufficit bona fides; ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi; nisi tanti temporis allegatur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. » At qui jus commune resistit præscribenti Decimas contra Ecclesiam Parochialem, et habetur præsumptio contra ipsum præscribentem, cum sit expresse statutum Decimas de jure pertinere ad Parochos; cap. Quoniam 13. cap. Cum sint 18. cap. Ad Apostolicam 20. cap. Tua nobis 26. cap. Cum contingat 29. et cap. Cum in tua 30. de decimis, adeoque, etc.

(6. Tertio Clerici acquirere possunt jus decimandi per transactionem, ita ut jus decimandi per talem transactionem, seu amicabilem compositionem, uni, vel alteri, vel utrique parti acquiratur, ut constat ex c. Multiplici 3. et cap. Suggestum 9. de Decimis, ut si v. g. lis oriatur ad quem ex Parochis, vel aliis Clericis, vel etiam Religiosis pertineant Decimæ, possunt partes litigantes transigere et componere, ut Decimæ æqualiter inter ipsos dividantur, vel uni parti major portio, vel alteri minor tribuatur: dummodo in tali transactione nullum pactum Simoniacum interveniat, ita ut pro spirituali jure decimarum detur pecunia, vel alia res pretio æstimabilis; Glossa in cit. cap. Ex multiplici, verb. Conventionem, Rebuffus de Decimis quæst. 13. num. 26. Pirhing loc. cit. n. 120. Reiffenstuel. loc. cit. num. 117. et alii communiter. (7. Talis autem transactio si sit facta cum legitima auctoritate, et consensu superiorum, obligat etiam successores. Glossa in cit. cap. Ex multiplici, verb. Eandem conventionem, Abbas ibidem num. 2. Layman lib. 4. tract. 6. num. 1. Reiffenstuel. loc. cit. num. 118. et communis aliorum, arg. cap. Statuimus 2. de transactionibus, ibi: « Statuimus, ut si super Decimis inter vos, et aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata, et inconcussa persistat. »

et cap. Veniens 8. de transactionibus, ubi expresse declaratur successores non teneri stare Transactioni super decimis factæ absque auctoritate legitima Superioris. (8. Si vero transactio facta fuerit sine legitima auctoritate Superioris, valet solum inter personas ipsas transigentes, et nullimode obligat successores; cit. cap. Veniens 8. de transactionibus ubi assignatur hæc ratio: « Cum inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur, nec pacta inter alios facta aliis obesse patiamur. » Quod idem colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. de reform., ibi: « Concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores; et tenent auctoritate citata, Fagnan. in d. c. Veniens, num. 2. Reiffenstuel. loc. cit. n. 118. et alii communiter.

(9. Quarto Clerici acquirere possunt jus decimandi, Donatione, dummodo adsint solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ; cum Donatio expresse numeretur inter species alienationis; cap. Nulli liceat 5. de rebus Ecclesiæ alienand. vel non, ibi: « Alienationis autem verbum continet donationem. » (10. Si tamen Decimarum donatio sit facta a Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso, tunc non requiruntur tales solemnitates, sed sufficit solus Episcopi consensus; cap. Cum Apostolica Sedes 7. de his, quæ fiunt a Prælato sine consensu cap. ibi: « Nam in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne qualibet Religiosa persona Ecclesias, et decimas de manibus Laicorum sine consensu Episcoporum recipiat, per quod indirecte datur intelligi, quod sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere Laicorum. Hoc autem de illis Decimis intelligimus, quæ Laicis in Feudum perpetuo sunt concessæ. » (11. Quinto Clerici acquirere possunt jus decimandi, Permutatione, qua una Ecclesia cum altera decimas pro decimis, vel alio jure spirituali permutat; argum. cap. Ad q. 6. et cap. Exhibita 9. de rerum permutat. et Glossa ibidem verb. Temporalia cum communi Doctorum. (12. Requiritur autem solemnitates ad alienationem necessariæ, quia Permutatio expresse numeratur inter species alienationis; cap. Nulli liceat 5. de rebus Eccl. alienand. vel non, ibi: « Alienationis autem verbum continet permutationem. » (13. Sexto Clerici acquirere possunt jus decimandi per Compromissum in Arbitros; arg. cap. Cum Apostolica 7. de his quæ fiunt a Prælato sine consensu. Capitulum. et cap. Sane 1. de Arbitris; Per arbitrium enim, seu sententiam Arbitrorum (cui partes stare debent) possunt decimæ uni litigantium adjudicari, et alteri auferri, sive totæ, sive pro parte.

(14. Requiritur tamen pro tali compromisso solemnitates ad alienationem necessariæ: Abbas in cap. Dilecti Filii 4. de Arbitris num. 8. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 1. Pirhing loc. cit. n. 123. Reiffenstuel loc. cit. num. 120. et alii passim. Et ratio est quia per compromissum indirecte perveniri potest ad alienationem decimarum, quæ est directe prohibita, ut patet ex toto titulo

de rebus Eccles. alienand. vel non, et ex Constitutione Pauli II. incip. Ambitiosæ; prohibita autem alienatione, censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem. c. Cum quid. 39. de Reg. juris in 6. ibi: « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ex illo sequuntur. »

(15. Laici nullo modo possunt acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia: textu expresso in cap. Decimas 1. caust. 16. q. 7. ibi: « Decimas, quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, a Laicis possideri auctoritate Apostolica prohibemus, sive enim ab Episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, (nisi Ecclesiæ reddiderint) sciant se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere; » cap. Ad hæc 15. de decimis, ubi Alexander III. irritat donationem Decimarum factam a quodam Abbate cuidam Laico, et ejus hæredibus; ibi: « Quoniam sanctuarium Dei, (scilicet Decima, quatenus est jus mere spirituale) jure hæreditario possideri non debet, viribus carere decernas; Et Laicum (nisi Decimam ipsam ipsi Ecclesiæ libere resignaverit) vinculo excommunicationis adstringas; » cap. Quamvis 17. de decim. ibi: « Quamvis sit grave nimis, et Divini dignum animadversione iudicii habeatur, quod Laici quidam, quod Sacerdotum est in Ecclesiasticis rebus (de Decimis est sermo) usurpant, majorem tamen, » etc. et consimiliter habetur in cap. Prohibemus 19. eod. tit. et cap. Causam 7. de præscriptionibus. et est communis et certa cum Glossa in dict. cap. Quamvis verb. concesserit, et Rota part. 1 recent. dec. 48. num. 9. part. 8. dec. 47. num. 25. part. 9. tom. 1. dec. 234. num. 1, et 2. part. 10. dec. 97. num. 1. dec. 253. num. 6. dec. 291. n. 31. part. 14. dec. 234. num. 1. part. 15. dec. 67. n. 1. part. 17. dec. 46. num. 5. et sæpe alibi. Et ratio est, quia cum Laici Officia spiritualia ministrare non possint, c. Bene quidem 1. dist. 96. cap. Decernimus 2. de judiciis; cap. Tua 25. de Decimis, sequitur evidenter, quod nullo modo possint acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia.

(16. Possunt tamen Laici licite et valide per specialem concessionem, seu privilegium Summi Pontificis acquirere jus decimarum, quatenus hoc consideratur ut abstractum a titulo ac jure spirituali, et solummodo est quid temporale, scilicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum. Est communis cum Pirhing l. c. n. 138. Reiffenstuel loc. cit. n. 131. Rota part. 6, dec. 19, n. 17, par. 7, dec. 180, n. 20. et 21, part. 10, decis. 175, n. 9, decis. 291, n. 9, part. 14, decis. 424, n. 9, et sæpe alibi. Et constat multiplici experientia plurimum Romanorum Pontificum, qui jus percipiendi perpetuo similes Decimas cum facultate transferendi illud successoribus suis concesserunt variis Regibus, Ducibus, aliisque Principibus ob eorum am-

plissima merita, et maxima beneficia in urgentissimis casibus Ecclesiæ Catholicæ præstita. (17. Immo olim etiam Episcopi, ac alii Ecclesiarum Prælati jus percipiendi similes Decimas in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo Laicis concedere poterant, ut traditur in cap. *Cum Apostolica 7, de his quæ sunt a Prælati*, et desumitur ex cap. *Tua 25, de Decimis*, ubi supponitur, quod ab antiquo decimæ in Feudum Laicis dari poterint, et constat ex Decreto Urbani II, revocantis dictam potestatem, ut patet in lib. 1. *Feudor.* tit. 6, et tradit communis Doctorum cum Rota part. 7, recent. dec. 103, num. 8, dec. 193, n. 23, part. 8, dec. 47, num. 23, et 31, p. 9, tom. 1, dec. 234, num. 3. (18. Hodie tamen a tempore Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III, 1179, teste Covarruvia lib. 1. *variari. Resolut.* cap. 7, num. 4. Barbosa in cap. 1. de his quæ fiunt a Prælati n. 2. Rebuff. in tract. de Decimis qu. 10, num. 23, et Rota part. 8, recent. dec. 76, num. 6, par. 15, dec. 375, num. 3, id sine consensu et facultate Summi Pontificis facere amplius non possunt; Rota part. 2, recent. dec. 262, num. 3, part. 8, dec. 47, num. 31, cum seq. et dec. 76, num. 6. et patet ex cit. Decreto Urbani II, relato in lib. 1. *Feud.* tit. 6, et ex cap. *Ad hæc 15, cap. Quamvis 17, cap. Prohibemus 19, de Decimis*, et c. *Statuto 2. § Sane*, in fine de *Decimis* in 6. (19. Quamvis autem Episcopi, alique Ecclesiarum Prælati hodierno jure jus percipiendi similes Decimas Laicis in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo concedere non possint ex mox citatis verbis, valent tamen etiam nostris hisce temporibus illorum concessionibus eidem factæ ante dictum Decretum Urbani II, et ante dictum Concilium Lateranense, possuntque Laici etiam hodie licite retinere jus talium Decimarum antecessoribus suis concessum ante dictum Decretum; ita habetur expresse in cap. *Episcopum vel Abbatem* lib. 1. *Feudor.* tit. 6, ubi dicitur: « De Feudis ante illud Decretum factis, seu concessis, quod firmiter permanere debeant; non autem de datis post decretum illud; » et colligitur clare ex cap. *Cum Apostolica 7, in fine de his, quæ sunt a Prælati*, et ex c. *Statuto 2, § Sane*, in fine de *Decimis* in 6. Et sic communis Doctorum cum Rota part. 7, dec. 103, num. 7, part. 8, dec. 47, n. 34, part. 9, tom. 1, dec. 234, num. 2. et 5, part. 15, dec. 67, num. 2. et 11, part. 16, dec. 109, n. 3.

(20. Laici nulla præscriptione, et consuetudine etiam immemorabili acquirere possunt jus decimandi, textu expresso in cap. *Causam 7, de præscriptionibus*, ibi: « Quia cum Laici decimas retinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione, » ubi videtur rationem datam a textu, nempe: *quia decimas detinere seu possidere non possunt*; quod autem quis possidere non potest, etiam præscribere nequit, cum sine possessione præscriptio non procedat, textu clarissimo in *Regul. 3, de Regul. Jur. in 6*, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit; » et sic tenet Engel l. 3. *decr.* tit. 30, num. 23.

Reiffenstuel ibidem num. 138. Pirhing de præscript. num. 41. Covarruvias *variari. Resol.* l. 1, cap. 17, num. 5. Layman. lib. 4, tract. 6, cap. 6, n. 8. Rebuff. de Decimis q. 10, n. 24, et communis aliorum cum Rota part. 7, recent. dec. 137, n. 7, part. 16, dec. 109, num. 2, et sæpe alibi. (21. Hinc Laici, ut retinere valeant decimas præter tempus immemorabile, requiritur insuper fama privilegii, debentque Laici probare communem famam, quod decimæ fuerint suis Successoribus ex privilegio concessæ, vel ante Concilium Lateranense in Feudum datæ sint. Sic Abbas in cap. *Cum Apostolica 7, de his quæ sunt a prælat.* num. 12, et ibi Imola num. 21. Joann. Andreas num. 9. Felinus in cap. *Cum contingat, de Foro competent.* num. 4. Moneta de *Decimis* cap. 5, quæst. 3, n. 59. Card. de Luca de *Decimis* discurs. 6, num. 24. et 25, et alii cum Rota part. 2, recent. dec. 193, n. 6, part. 4, dec. 345, num. 1, part. 8, dec. 137, num. 7, ubi dicit, quod hæc opinio semper fuit in hoc sacro Tribunali recepta, ut in Tolentina Decimarum de Capill. 4. Decembris 1615, coram bon. mem. Andrea, ubi latissime fuit firmata, et in Hispanen. Decimarum de Almonte 5. Maii 1635, coram Pirovano, et in Corduben. Decimarum de Lucena 15. Jun. ejusdem anni 1635, et par. 16, rec. dec. 109, n. 2, in Taurinen. Decimarum 31. Maji 1669, ubi citatur alia in Mediolanen. Rescissionis permutationis 21. Maji 1597, coram Cardinali Hieronymo Pamphilio. (22. Contrarium tamen tenent Covarruvias lib. 1, *variari. Resolut.* cap. 17, num. 5, § *Sed si*, Pirhing de *Præscript.* num. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 144, et alii. Quæ revera sententia non caret sua probabilitate

(23. Laici jus decimandi, quod ex legitimo titulo possident, nequeunt per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos sine auctoritate Summi Pontificis; cap. *Prohibemus 19, de Decimis*, ibi: « Prohibemus, ne Laici Decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laicos possint aliquo modo transferre; » et in ejus sumario sic præcise dicitur: « Non potest Laicus transferre Decimam in alium Laicum, etiamsi cum titulo illam possideat. » Et sic Glossa in cap. *Cum Apostolica 7, de his quæ sunt a Prælat.* verb. in *Lateranensi Concilio*, ibi: « Nec Laici in alios Laicos Decimas possunt transferre; » cap. *Prohibemus, de Decimis*, Rota part. 2, recent. dec. 193, n. 10, ubi sic expresse habet: « Postremo nullo modo poterat Episcopus Taurinensis de anno 1544, præstare suam auctoritatem ad effectum ut Decimæ de Laico in Laicum transferrentur, » cap. *Prohibemus, de Decimis*, ibique Doct. Covarruvias d. c. 17, n. 5. Rebuff. d. qu. 13, n. 79, et sic tenet Abbas in d. cap. *Prohibemus* num. 4, et plures alii. Et ratio est, quia si jus illud decimandi remansisset apud primum Laicum, spes esset quod posset citius redire ad Ecclesiam, ad quam spectat, si videlicet decederet sine hærede, et sic talis translatio videtur esse quæ-

dam alienatio, arg. cap. *Apostolicas 13, cap. Sine exceptione 32, caus. 22, quæst. 2*, cum concordantiis. (24. Est tamen vere probabilis contraria sententia, quam tenent Glossa in d. cap. *Prohibemus*, verb. *Laicos*; Barbosa ibidem n. 7. Pirhing lib. 3, *decretal.* tit. 30, n. 144. Reiffenstuel ibidem n. 145, et alii. Et ratio ipsorum est, quia quivis potest jussibile legitime competens in alium transferre, nisi jure prohibeatur; argum. leg. in *re mandata*, Cod. *Mandati*; nullum autem assignari potest jus, quod hoc prohibeat, adeoque, etc. Citatum enim cap. *Prohibemus*, non loquitur, dicunt ipsi, de Decimis, quas justo et legitimo titulo possident, sed solum de illis, quas injuste detinent, ut patet ex illis verbis, « Laici decimas cum animarum periculo detinentes, » quæ verba non verificantur de Decimis legitimo titulo possessis, cum illas tuta conscientia, et sine animarum periculo retineant.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Ad validitatem concessionis Decimarum favore Laicorum requiritur specialis derogatio Concilii Lateranensis sub Alexandro III, relat. in cap. 19, de *decimis*, ut respondit Rota in recent. dec. 614, n. 4, et seq. p. 4, tom. 3, coram Coccino dec. 643, num. 6, coram Penia dec. 997, num. 4, ubi quod Clausulæ: *Non obstantibus, etc., Quorum tenores, etc.*, non inducunt talem derogationem, inter impressas post Tamb. de Jur. Abbat. dec. 92, num. 1. et seq. in Constantien. Decimarum 17. Januarii 1744, § 7, coram Illustriss. de Thunn, et in Sabinen. Decimarum 6. Martii 1747, § 13, coram cl. memor. Millin.

(26. Declarat tamen procedere, si concessio cadat super jure spiritali decimandi, non item super commoditate Decimarum, quæ est quid temporale; Rota coram Bichio dec. 347, n. 8. et seq. et inter impressas post Salgad. de Labirint. Credit. dec. 95, n. 6. et seq.

(27. Utilis propterea est inspectio, quando concessio cecidisse dicenda sit super spiritali jure Decimarum, et quando super Decimarum commoditate. Vide si lubet de ea Pacion, de Locat. et Cond. cap. 10, num. 88, et Rota inter impressas Salgad. de Labirint. Creditor. d. dec. 95, n. 9. et plur. seq.

ARTICULUS V.

Decimæ quoad modos, quibus potest quis eximi ab ipsis solvendis, et quoad judicem competentem in earum causis.

(1. Primus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi Decimas, est privilegium concessum a Summo Pontifice; argum. cap. *Ex multiplici 3, cap. Dilecti Filii 8, cap. Ex parte 10, cap. Licet 11, cap. Ad audientiam 12, et cap. A nobis 24, de decimis*, ubi expresse dicitur quod « quilibet Decimasolvere teneatur, nisi a præstatione ipsarum specialiter sit exemptus; » et paulo infra: « Nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes. » (2. Papa enim valide

concedit exemptionem Decimarum, cum de ejus potestate non sit dubitandum; Rota par. 12, recent. dec. 299, num. 3. (3. Et sic communis, et certa omnium Doctorum. Tale autem privilegium eximens a Decimis cessat, quando incipit esse enormiter perniciosum Ecclesiis Parochialibus, ut si v. g. alicui Monasterio modicos fundos habenti concessum sit tale privilegium, cessat si postea ejus possessiones et fundi sive per donationes, sive per emptiones, aut alio modo tanto augeantur, ut major pars agrorum loci jam ab ipso possideatur, et sic Decimæ successive nimium subtrahantur, indeque Parochi enormiter lædantur; argum. cap. *Suggestum 9, de Decimis*; cap. *Quid per Novale 21, de verbor. signif. et cap. Cum ad hoc 16, de Clericis non residentib.* et tenent Abbas in dict. cap. *Suggestum* n. 3. et 4. Barbos. ibidem n. 2, et communis aliorum. (4. Cum vero dubitatur, an privilegium sit enormiter læsivum, recurrendum est pro declaratione ad Summum Pontificem; arg. cap. *Cum venisset 12, de judiciis*, ibi: « Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ vertatur quæstio, nolumus de his per alios judicari; quia illius est interpretari, cujus est concedere; » arg. c. *Inter alia 31, de sentent. Excom.* ibi: « Unde jus procedit, interpretatio quoque procedit, » et leg. fin. Cod. de leg. (5. Insuper privilegium non solvendi Decimas cessat, et amittitur per non usum, seu potius per usum contrarium, quo privilegiati Decimas per 40, annos solvunt; cap. *Accedentibus 15, de privilegiis*, ibi: « Cum enim tanto tempore (scilicet per 40 annos) contra indulta privilegia Decimas solverint, eis renunciassent tacite præsumuntur. » (6. Nec sufficit ad amittendum tale privilegium, si per 30 annos privilegiati solvant Decimas, ut dicitur in cap. *Si de terra 6, de privilegiis*, quia hoc caput tanquam jus antiquum continens fuit correctum a dict. cap. *Accedentibus*, utpote ejus recentius continente, ut notatur in ejusdem capituli sumario, et communiter a Doctoribus. Eo vel maxime, quod jure novo universaliter contra Ecclesias quascumque, ac privilegia earumdem, non nisi quadraginta annorum admittatur præscriptio, textu expresso in cap. *Illud autem 8, de præscriptionib.* ibi: « Illud autem te scire volumus, et tenere quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum, Romana Ecclesia non admittit, licet quidam Canones comprobent tricennalem. » (7. Ulterius privilegium non solvendi Decimas potest amitti, transactione et conventionione facta inter partes, Parochum v. gr. et privilegiatos, si hi privilegium, vel ex toto, vel ex parte remittant, textu aperto in cap. *Dilecti 8, de decimis*, ibi: « Vel cum ipsis amicabiliter componatis; » cap. *Suggestum 9, eodem tit.* ibi: « Mandamus quatenus cum prædicto Abbate et Fratribus super ipsis Decimis componatis, » et cap. *Nuper 34, eod. tit.* ibi: « Decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. » Et ratio petitur ex cujus-

que libero usu sui juris: « Cum, » ut expresse dicitur in c. *Si de terra 6, de privileg.*, « cum liberum sit unicuique suo juri renunciare. »

(8. Secundus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi Decimas, est consuetudo, vel præscriptio; dummodo tamen Ecclesiæ Ministri aliunde quam ex Decimis congruam sustentationem habeant, v. gr. amplis redditibus fundationis Ecclesiæ, oblationibus, aut Legatis piis, obligatio solvendi Decimas potest tolli, et abrogari per contrariam legitimam consuetudinem, sive a Clericis, sive a Laicis. Ita defenditur contra plures veteres Canonistas, et contra Reiffenstuel a fere omnibus recentioribus tum Canonistis, tum Theologis, et in specie a Covarruvia l. 1, variar. Resol. cap. 17, n. 8. Silvester verb. *Decima* qu. 4. Navar. lib. 3, cons. 2, de Decimis; Rebuff. de Decimis q. 13, n. 46. Monea eodem tract. cap. 3, q. 1, n. 89. Azor. part. 1, lib. 7, cap. 26, q. 4. Suarez lib. 1, cap. 12, n. 8. Less. lib. 2, cap. 39, n. 23. Canis. tract. de Decimis cap. 17, n. 8. Layman lib. 4, tract. 6, c. 6, n. 10. Pirhing loco cit. n. 126. Barbosa de offic. Parochi cap. 28, § 3, n. 64, cum aliis fere communiter; et Rota part. 6, recent. dec. 23, n. 3, part. 8, dec. 146, n. 7, et sæpe alibi. Et ratio est quia, supposita congrua sustentatione Ministrorum Ecclesiæ aliunde quam ex Decimis, Decimæ non debentur ipsis jure naturali, vel divino, sed solum jure humano Ecclesiastico, ut jam probatum est supra in art. 1, n. 90. Jus autem humanum Ecclesiasticum potest omnino tolli, et abrogari per contrariam consuetudinem legitime introductam et præscriptam; cap. *Cum tanto 11, de consuetud. et leg.* de quibus 32, ff. *de Legibus*, adeoque, etc. (9. Hinc infertur posse ex consuetudine induci, ut ex certis fructibus, v. gr. vino, oleo, feno, etc., vel ex fructibus minutis et fœtibus animalium nullæ omnino Decimæ solvantur, aut aliqua solum portio solvatur; Rota part. 1, recent. dec. 469, num. 2, dec. 474, n. 5, part. 9, tom. 1, dec. 123, numer. 1. (10. Et sic potest induci consuetudo, quod Decimæ de bonis locatis, aut arrendatis non solvantur, quæ consuetudo servanda est; Rota part. 13, rec. decis. 344, n. 6. (11. Sic etiam consuetudine possunt Decimæ alterari respectu quotæ qualitatis et modi; Rota part. 6, recent. dec. 311, n. 5, part. 19, tom. 1, dec. 12, n. 6. (12. Talis autem consuetudo debet esse uniformis, universalis, et legitime præscripta; Rota part. 1, recent. dec. 469, n. 2, dec. 474, n. 1, part. 5, tom. 1, dec. 124, n. 12, part. 13, dec. 344, n. 6. (13. Et ad hoc ut talis consuetudo sit legitime præscripta, requiritur lapsus saltem 40 annorum; c. *Illud autem 8, de præscription.* cap. *Accedentibus 15, de privileg.* Rota p. 13, rec. dec. 322, num. 8.

(14. Objicies: Laici non possunt præscribere jus percipiendi Decimas, ut istæ ipsis solvantur ab aliis, textu expresso in cap. *Causam 7, de præscription.* ibi: « Quia cum Laici Decimas detinere non possint, eas nul-

la valent præscribere ratione, » ergo nec possunt præscribere jus retinendi Decimas, quas ipsis solvere debent Ecclesiæ Ministris, nam retinendo Decimas, quasi a se ipsis illas accipiunt. (15. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam et paritatem. Et disparitas est, quia jus percipiendi Decimas est spirituale; Jus autem exemptionis a solvendis Decimis non est spirituale; ideoque Laici non sunt incapaces possidendi hoc jus; nempe percipiendi ex propriis possessionibus fructus integros sine detractone, sive onere Decimarum; quod onus solvendi Decimas inhærens ipsis possessionibus, seu feudis est quid temporale, ideoque etiam immunitas ab hoc onere est tantum quædam libertas et commoditas temporalis, et consequenter a Laico præscribi potest, ut recte notat Covarruvias loc. citat. cap. 17, num. 10. Suarez. loc. cit. cap. 12, num. 17. Pirhing l. c. n. 130.

(16. Ad solum Judicem Ecclesiasticum privative quoad Laicum pertinet causa Decimarum, si agatur de proprietate et jure percipiendi Decimas, ad quem pertineat, vel de privilegio, aut præscriptione earum, aut de exemptione a solutione earumdem. Est communis et certa cum Rota part. 10, recent. dec. 284, n. 10, part. 14, dec. 297, arg. cap. *Exhibita 9, de rerum permut.* et cap. *Tua 25, de decimis.* Et ratio est, quia talis causa Decimarum censetur causa spiritualis, arg. cit. c. *Exhibita 9, de rerum perm.* et c. *Parochianos 14, de Decim.* De causis autem, et juribus spiritualibus Judex Laicus cognoscere, ac disponere nequit; c. *Bene quidem 1, dist. 96. c. Decernimus 2, de judiciis, c. Tua 25, de Decimis;* Rota part. 2, recent. dec. 673, n. 2, p. 14, dec. 297, n. 9, adeoque, etc. (17. Hinc fit, ut etiam causa Decimarum, quæ datæ sunt in Feudum sæcularibus, discutienda sit coram Judice Ecclesiastico, licet enim dominium hujusmodi Decimarum, scilicet fructuum illarum omnino spectet ad Laicos, et Feudum censeatur sæculare; tamen quia oritur, et dependet a jure spirituali, et Ecclesiastico, non potest Judex Laicus de illis cognoscere; Feder. de Senis cons. 245, n. 1. Pirhing. loco citato n. 163. Rota part. 6, recent. dec. 42, n. 15. (18. Unde si quis in similibus causis Decimarum erga Judicem Ecclesiasticum contumacem se exhiberet, posset per censuras compelli; cap. *Ex p. 21. c. Non est 22. Tua nobis 26, et c. In aliquibus 32, de Decimis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Modi, quibus acquiri potest exemptio a solutione Decimarum, duo sunt, ut monet Auctor, Apostolicum privilegium et præscriptio. At de utroque hoc modo latius disserendum.

(20. Quod attinet ad Apostolicum privilegium, tria potissimum discutienda de eo sunt. I. Quid requiratur, ut Apostolicum privilegium de non solvendis Decimis efficax sit. II. Ad quas Decimas vires suas porrigat

privilegium hoc Apostolicum. III. Quando dictum Apostolicum privilegium vim suam amittat.

(21. Ut apostolicum privilegium de non solvendis Decimis efficax sit, continere debet expressam derogationem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. relati in cap. *Nuper., de Decim.* (22. Derogatio vero generalis quantumvis ampla haud sufficit. (23. Idque procedit, etiamsi agatur de Apostolico privilegio concessio intuitu defensionis Catholice Fidei. (24. Nota vero, quod necessaria est hæc specialis derogatio, si bona acquisita sint post dictum Concilium Lateranense, vel jam ante ipsum obnoxia erant solutioni Decimarum. (25. At onus probandi, non ad illum, qui agit, sed ad eum, qui convenitur pro Decimis, pertinet; vide de his omnibus Rotam in Corduben. Decimarum, 6 Junii 1760, et potissimum confirmatoriam 26 Jun. 1750, cor. bo. me. Vicecom.

(26. Ad Decimas, quæ a Laicis, maxime Principibus, percipiuntur, vires suas haud porrigit privilegium Apostolicum, quo generaliter est concessa exemptio a Decimis. (27. Quæstionis vero est, an id obtinere debeat etiam in casu, in quo denuo Decimæ a Laicis ad Ecclesias pervenerint? Variavit in hac quæstione Rota; pro negativa opinione fuit coram *Seraphin.* dec. 1293. Pro affirmativa vero in recent. dec. 48, p. 1. At denuo ad affirmativam sententiam rediit in Tirasonen. Decimarum 9 Maji 1755, et in confirmatoria 9 Febr. 1756, coram R. P. D. Stadion.

(28. Nec privilegium Apostolicum de non solvendis Decimis alicujus efficaciam est quoad Decimas debitas ipsis Ecclesiis, si earum favore accesserit munimen alicujus concordie, ut ex text. in cap. *Ex multiplici* firmavit Rota in dict. Tirasonen. Decimarum 9 Maji 1755, § 15, et in confirmatoria 9 Febr. 1756, § 15 coram R. P. D. Stadion.

(29. Privilegium de non solvendis Decimis vim suam amittit illis omnibus modis quibus suam amittit vim quodcumque aliud Privilegium. De hisce modis agemus in addit. ad verb. *PRIVIL.* (30. Peculiare vero est, quod hoc de non solvendis Decimis Privilegium amittat vim suam, si vergere incipiat in grave damnum habentis jus ad Decimas, ita ut is se congrue sustentare nequeat, ut est perspicuus textus in cap. *Suggestum de Decimis.* (31. At prætereundum non est, quod sicuti dictus textus de Parochis unice loquitur, ita ad ipsos Parochos communiter restringitur. (32. Quinimmo adeundus est Summus Pontifex, qui suum Privilegium explicet, et moderetur; Nicol. ad Monet. de Decim. adnot. 5, n. 171.

(33. Quod vero concernit præscriptionem, videndum an decimæ percipiantur ab eo, qui habet assistentiam juris pro ipsis, an ab alia Ecclesia, an a Laicis. (34. Ad acquirendam exemptionem ab eorum solutione primo casu requiri vel immemorabilem, vel centenariam, vel quadragenariam, cum titulo colorato, sufficere secundo casu simplicem

quadragenariam, (35. et tertio demum casu decennalem communiter tradunt Bohemer. in decret. lib. 3, tit. 30, § 42. Engel in Collect. Jur. Canon. lib. 3, tit. 30, § 3, n. 49. Schmalzgrueb. Jur. Eccles. univ. lib. 3, part. 3, tit. 30, § 3, n. 63. Zipæus respons. de Jur. comm. lib. 3, tit. 30, respons. fer. per tot. Antonell. de Tempor. Legal. lib. 2, cap. 37, n. 18. Rot. in recent. dec. 151, n. 5, part. 19, tom. 1 et coram Molin dec. 142, n. 5.

(36. Sed novissime Rota in ea videtur fuisse sententia, ut etiam ad acquirendam exemptionem a solutione, etiam Decimarum, quæ percipiuntur a Laicis, requiratur, vel immemorabilis, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato. Salamantina enim Universitas egit pro Decimis adversus PP. S. Hieronymi ejusdem Civitatis Salamantinae. (37. Opposita ubi iis fuit præscriptio; licetque admissum fuerit, Universitatem Salamantinam corpus esse non Ecclesiasticum, sed Laicale, ut probant Alphons. de Escobar. de Pontific. et Reg. Jurisd. in stud. general. capit. 21, per tot., ubi num. 273 et seq. quod Decimæ, quæ percipiuntur ab Universitate Salamantina, evaserint Laicales, Andreae Mend. de Jur. Academ. lib. 1, quæstion. 8, pariter per tot. firmatum tamen fuit, non aliter mox dictos Patres S. Hieronymi acquirere potuisse exemptionem a solutione Decimarum, quam vel immemorabili, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato, ut patefaciunt decisiones in Salamantina Decimarum 24 Februar. 1757, et in confirmatoria 8 Maji ejusdem anni 1757, cor. R. P. D. Francipane.

(38. De quadragenaria in subjecta materia Decimarum invaluit in foro opinio, quod munita ea præterea esse debeat requisitis contradictionis et acquiescentiæ; idque quia nulla præscriptio locum habere potest sine possessione; in juribus vero negativa possessio non incipit nisi a die interpellationis, denegationis et acquiescentiæ. (39. At res expers haud est difficultatis; aliud enim est, si is, qui præscribere intendit jus aliquod negativum, ante interpellationem nulla obligatione tenebatur; aliud vero si is qui intendit præscribere negativum aliquod jus, obligatione jam ante ipsam interpellationem tenebatur. (40. In priori sane casu non incipit præscriptio, nisi a die interpellationis, denegationis et acquiescentiæ, propterea quod non nisi ab illa die incipit possessio; (41. at in posteriori, in quo sumus, casu, a tempore, quo is qui debet non solvit, initium ducit præscriptio, quum ab illo ipso tempore initium ducat possessio; Ros. consult. 9, a num. 14, ad plur. seq. Trobat de effect. Immemorab. q. 11, num. 79.

(42. Addit et quidem rectius Bohemer in decretal. lib. 3, tit. 30, num. 53, quod ad præscriptionem acquisitivam non item, ut in casu, extinctivam requiratur possessio; adeoque opus haud sit contradictione, denegatione et acquiescentia. Confer etiam Rocc. disp. jur. select. cap. 84, n. 14, et seq.